

Forfatter: Kierkegaard, Søren

Titel: Om Begrebet Ironi

Citation: Kierkegaard, Søren: "Om Begrebet Ironi", i Kierkegaard, Søren: *Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 1*, udg. af Niels Jørgen Cappelørn; Joakim Garff; Johnny Kondrup; Alastair McKinnon; Finn Hauberg Mortensen, Søren Kierkegaard Forskningscenteret 1997 , s. I. Onlineudgave fra Søren Kierkegaards Skrifter: <https://tekster.kb.dk/text/sks-bi-txt-shoot-id5587de8d-4b32-4278-984c-2533926aefa5.pdf> (tilgået 12. juli 2024)

Anvendt udgave: Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 1

Ophavsret: Materialet er dedikeret til public domain. Husk dog altid at kreditere ophavsmanden. [Læs CC0-erklæringen](#)

THESES,  
DISSERTATIONI DANICÆ DE NOTIONE IRONIÆ

ANNEXÆ

QUAS

AD JURA MAGISTRI ARTIUM

IN UNIVERSITATE HAFNIENSI RITE OBTINENDA

die Septemb.

PUBLICO COLLOQUIO DEFENDERE CONABITUR

Severinus Aabye Kierkegaard,

theol. cand.

MDCCCXLI

## Theses

- I. Similitudo Christum inter et Socratem in dissimilitudine præcipue est posita.
- II. Xenophonticus Socrates in utilitate inculcanda subsistit, nunquam empiriam egreditur nunquam ad ideam pervenit.
- III. Si quis comparisonem inter Xenophontem et Platonem instituerit, inveniet, alterum nimium de Socrate detraxisse, alterum nimium eum evexisse, neutrum verum invenisse.
- IV. Forma interrogationis, quam adhibuit Plato, refert negativum illud, quod est apud Hegelium.
- V. Apologia Socratis, quam exhibuit Plato, aut spuria est, aut tota ironice explicanda.
- VI. Socrates non solum ironia usus est, sed adeo fuit ironiæ deditus, ut ipse illi succumberet.
- VII. Aristophanes in Socrate depingendo proxime ad verum accessit.
- VIII. Ironia, ut infinita et absoluta negativitas, est levissima et maxime exigua subjectivatis significatio.
- IX. Socrates omnes æquales ex substantialitate tanquam ex naufragio nudos expulit, realitatem subvertit, idealitatem eminus prospexit, attingit non occupavit.
- X. Socrates primus ironiam introduxit.
- XI. Recentior ironia in primis ad ethicen revocanda est.
- XII. Hegelius in ironia describenda modo ad recentiore non ita ad veterem attendit.
- XIII. Ironia non tam ipsa est sensus expers, tenerioribus animi motibus destituta, quam aegritudo habenda ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipsa concupierit.
- XIV. Solgerus non animi pietate commotus, sed mentis invidia seductus, quum negativum cogitare et

Kierkegaard, Søren, *Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 1,*

cogitando subigere nequiret, acosmismum effecit.

XV. Ut a dubitatione philosophia sic ab ironia vita digna, quæ humana vocetur, incipit.